

Q. D. B. V.

EXERCITATIONUM
THEOLOGICARUM,

Ad Artic. I. Exeg. B. MENTZERI,
SEXTA,

De negatâ, à Theod. Beza, Danæo, & Pinciero.

DEI IMMENSITATE,
POSTERIOR,

Quam,
Adjutore DEO,
PRÆSIDE

DN. JOHANNNE FAUSTIO

S.S. Theolog. D. Ejusdemq; Prof. Publ. Celeb.
P. t. Rectore Magnifico.

PATRONO, PROMOTORE & PRÆCEPTORE
suo, æternum colendo,

Defendet

M. NICOLAUS FRIDERICUS

ab Avenheim Argent. SS. Theol. St.

Die XXVIII. Mens. Julij M. DC. XCV.

diss. A

41

84. J. 165 (41)

ARGENTORATI, ~~MDCC~~ ~~MDCC~~
LITERIS JOHANNIS PASTORII.

VIRIS
MAGNIFICIS NOBILISSIMIS AM-
PLISSIMIS CONSULTISSIMIS ET PRVDENTISSIMIS
DOMINO
FRANCISCO

Reißeisen /

Reipubl. Patriæ Consuli Regenti atq; Uni-
versitatis Scholarchæ illustri;

nec non

DOMINO
JACOBO WENCKERO
CONSULARI AC TREDECIMVIRO
eiusdem REIPUBLICÆ MERITISSIMO;

ut &

DOMINO
JOHANNI PHILIPPO
BRAUNIO

Collegij TREDECIMVIRALIS Assessori gravissimo
Dominis suis Mæcenatibus, atq; Patronis maximis

Disputationem hanc Theologicam

ut MONUMENTUM

PERPETUÆ OBSERVANTIÆ ET
GRATITUDINIS

SVBMISSSE CONSECRAT

M. Nicolaus Fridericus ab Avenheim

SS. Th. Stud. Resp.

Sächs.
Landes-
Bibl.



A Ω

§. I.



X principiis & assertionibus *Theodor. Beze*, à *D. Mentz.* in *Exeg. ad Aug. Conf.* productis, sequi everisionem immensitatis & omnipræsentiæ Dei, eique detrahi; imò eam negari, *Exercit. priore*, quæ *Exercitationum ad Exeg. Beati Menzeri Quinta* fuit, ostendimus, & clarè probavimus. Nam ille sua facit hæc *Tertulliani* verba:

coeterum scimus Deum etiam intra abyssos esse, & ubiq; consistere; sed
VI & POTESTATE p. 14. 15. 16. 17. deinde ascensum Christi ad patrem localem fecit p. 18 19. 20. ex quo facilè sic argumentamur: *quicumq; quæsitus*, an ascensus ad Deum patrem fuerit localis: (de loco in locum, ex loco in locum. *Bez.* vol. 1. *Theolog.* p. 585.) respondet, *non dubito: iterumq; quæsitus*, quantum ergo itineris, & quot milliaria ei conficienda fuerint, *ut, & donec* perveniret ad patrem suum, ad quem ascendit, ita respondet, *non sum mensus*, Deus novit: is de vi & virtute verborum suorum dicit, *saltem aliquot milliaria fuisse Christo conficienda, ut, & donec* veniret ad patrem, & fatetur se numerum milliarium conficiendorum determinare non posse, dicitque patrem à Jesu saltem aliquot milliariibus abfuisse, & de patris immensitate detrahit aliquid, imò illam evertit, & destruit, saltem virtualiter. Atqui *Beza.* Ergo. Deniq; argumentum sumimus ex descriptione sessionis, quam *Beza* localem fecit p. 20. 21. 22. Argumentum formari potest hîc tale, ad pag. 21. *si sessio carnis Christi ad Dei Patris dextram divina sessio est; ac idè omnipotentissima sessio, & una eademq; cum patris*

A 2

ses-

sessione: certè qui sessionem Christi localem facit, & ei certum assignat locum in Cœlis summis & ineffabilibus, quibus ipse Christus capiatur, is divinam sessionem localem facit, & consequenter negat immensitatem Dei. *Atqui sessio carnis Christi ad Dei patris dextram &c. Ergo.*

§. II. Atq; his sic expeditis contra *Bezam*, reliquum est, ut ea, quæ sequuntur apud *D. Mentz* in *Exeg* afferantur. Verba autè illius hæc sunt: *Heidelbergenses Calviniani in Epitome Colloquij Maulbrunnensis domicilium Dei in Cœlo vocant locum. Vid. etiam Ursinum & Bezam; Oper. Theologic. Tom. I. p. 590. ubi illinc (ex loco illo Dei) non autem ex ubiquitario Cœlo dicit missum à patre Filium, & in eosdem illos Cœlos resumptum, ubi & gloria & honore coronaretur. Exscribo verba ex loc. citat. integra. scimus Deum etiam intra abyssos esse. & ubiq; consistere, sed vi & potestate. Pater voluit Filium in TERRIS haberi, se vero in COELIS, quò ipse Filius suspiciens orabat, & postulabat à patre: quò & nos erectos docebat orare, pater noster qui es in cœlu cum sit etiam ubiq; (sed vi & potestate) Hanc sedem suam voluit Pater. Minoravit Filium modico citra Angelos, ad TERRAM demittendo: gloria & honore coronavit, illum in COELOS resumendo. Atqui his (quæ Tertulliani sunt) dictis *Beza* proximè subjungit sequentia: ex quibus manifestè liquet, in iis ipsis Cœlis quasi sede quadam stare Deum qui ubiq; est, ad quos & Christus ipse vultum erexit, & nos erigere docuit. Quinam autem illi sunt? an qui ubiq; sunt, an vero qui sursum sunt, supra illos etiam visibiles, quorum splendore percellimur? Itaq; hinc quoq;, non autem ex ubiquitario Cœlo dicitur missus à Patre Filius: & in eosdem illos Cœlos resumptus, ubi gloria & honore coronaretur. Et paucis interjectis ita scribit: in summa igitur, abiit ad Patrem Christus, sed cò ubi gloria & honore coronatus est, nempe in Cœlos quibus, ut inquit Petrus, oportet eum capi, & in quos penetravit ex locis terræ inferioribus, donec ex iisdem veniat, sicut & conspectus est ascendere.*

§. III. Summa verborum *Beza* est, quæ huc pertinet. I. Filius Dei ex illis Cœlis qui sursum sunt, (supra illos etiam visibiles) in quos etiam resumptus, & qui à *Zach. Ursin.* (vid. *Exercit. nostram* 4. parag. II) dicuntur esse spatium illud immensum, lucidissimum, gloriosum, extra & supra mundum, Cœlumque spectabile, domicilium Dei, Angelorum, & beatorum hominum,
ubi

parata nostræ beatitudinis sedes cum Christo, & sanctis spiritibus ex iis ipsis inquam Cælis, in quibus, ut ipsi adversarij loquuntur, oportet Christum capi, donec ex iis veniat, sicut & conspectus est ascendere, hinc, & ex hac sede, quam suam voluit Pater (vid. Be- zam) missus est à Patre Filius. Hinc ille demissus ad terram, minoran- do eum ad breve tempus infra Angelos: ed etiam resumptus ut gloria coronaretur. II. Filius Dei non est missus à Patre ex ubiq̄- rario Cælo: non missus ex Cælis qui ubiq̄ sunt.

§. IV. Atqui exivisse Filium à Patre, & ivisse ad Patrem, clarè quidem scriptura dicit; sed istum exitum, reditumq̄, de muta- tione loci seu progressionē, quæ perficitur motu locali, tenditque de locouno ad alterum, accipere, & ita cogitare de Deo, absur- dum. Totum hoc negotium, & quod dici debet de exitu Filij Dei à patre, & abitu reditq̄, ad patrem, deque ascensione ad Pa- trem accurate Mentzerus exposuit, cujus ut verba hic referantur, utile esse duxi. Sic autem Theologus excellentis memoriæ, Tom. I. oper. pag. 531. & 889. scribit: Non (ita pag. 531. disp. 3. pro Aug. conf.) discesserat Christus à Patre localiter (ego in Patre, inquit Christus Joh. 14. v. 10. & Pater in me) Ergo nec locali opus erat ascen- su, ut ad patrem veniret. Exiit à Patre, & venit in mundum, factus caro, ad opus redemptionis perficiendum. quo peracto, reliquit mundum (ut in eo visibiliter familiariter amplius non conversetur cum hominibus, ut ante factum) & vadit ad Patrem, per passionem, resurrectionem, as- censionem, & sessionem ad dextram Dei, in cœlestem gloriam. Hæc clara sunt ex Dei verbo, & negari non possunt. Pueriliter igitur desipiunt, qui hîc somniant loca & spatia & distantiæ, intervalla & distantias inter Christum & Patrem, & tamen verè Christus ascendit in Cælum, ubi intervalla maxima agnoscimus, sed non æquè latè patent: ire ad Pa- trem & ascendere in Cælum. Neque jam propior est Christus suo Patri in Cælis, quam ei fuit in terris, siquidem semper est in Patre & Pater in ipso. Exire a Patre & venire in mundum (ita Mentz. pag. 889.) non fit per motum localem Ergo nec ire ad Patrem: in quo motu locali est terminus à quo, medium per quod, & terminus per quem, & medium illud facit localiter distare terminum ab altero. Vera senten- tia hæc est: sicut Christus exiit à Patre, & in mundum venit, factus verus homo, & in carne manifestatus, & conversatus cum

hominibus, in forma servili divinam suam gloriam & majestatem occultavit, & denique ignomiosissimam mortem crucis pertulit: ita nunc devictis hostibus, & perfecto redemptionis officio, *vadit ad Patrem*, relicto (quantum ad visibilem conversationem, non autem quoad præsentiæ gubernationem, ut *August.* loquitur) mundo, & deposita forma servi Rex & Dominus gloriosè regnat in Cælo & in Terra. Et post pauca idem ita scribit: *Tenendum igitur, in phrasi illa; exire à Patre, & ire seu vadere ad Patrem*, verbum *exire, ire* seu vadere, non accipi in significatione propria, ut existimat *Beza*, de mutatione loci seu de progressionem, quæ perficitur motu locali, tenditq; de loco uno ad alterum. sed priorem phrasin notare Filij Dei ex inaccessibili luce Divinæ gloriæ, & majestatis egressum in hunc mundum *per incarnationem*, per quam Deus est manifestatus in carne, & cum hominibus in terra conversatus; posteriorem autem notare contrarium sive oppositum, nempe relicta visibili illa, cum hominibus in terra conversatione, ingressum in divinam illum Patris gloriam & majestatem, hoc est ut verbo dicam, exaltationem. Idem p. 897. hæc habet (illustrantur hîc ea, quæ pag. 19. num. 26. Exercit. IV ad Exeg. Mentz. scripsi.) *Exire à Patre & venire in mundum* Christus dictus est sine locali motu. Ergo & relicto mundo ad Patrem ivit sine locali motu, quia à Patre non recessit, & semper ipse in Patre est, & Pater in ipso. siquidem Christus non tantum ut Deus, verum etiam ut homo, est secunda persona Trinitatis, quare fieri non potest, ut, si libet *ἀνεβήσθαι* ad patrem localiter Christus ivisse dicatur, nisi localiter ante abfuerit à Patre, quod sine impietate manifesta dici non potest. Quibus omnibus addo, quæ *Dr. Mentzerus* habet T. I. oper. p. 428. in defens. collat. *Aug. Conf. nunquam à Patre localiter discessit, vel ab eo abfuit, vel extra eum fuit, in medio etiam statu exinanitionis, quippe in sua Deitate unum cum patre existens. & ipse in Patre, & Pater in ipso Joh. 10. v. 30. c. 14. v. 10. recte vereq; dixit Iacob Andrea, si ideo debuerit Christus ascendere in Cælum, ut perveniret ad suum Patrem, tunc ei opus non fuisse vel ad latum pilum vel unguem abire, quia nimirum Pater in ipso est, & ipse in Patre. quæ sententia opposita est crassis illi cogitationibus de locali Cælo, & Patre à Christo longe dissito, ad quem ut veniret, longo itinere per aerem, nubes, orbes planetarum, & totum firmamentum opus fuisse.* Hactenus *B. Mentz.* §. V.

§. V. Exivisse sic à Patre Filium, & rursus ivisse ad Patrem, scriptura asserit, & quo id sensu accipiendum sit, satis exposuit B. Mentz. exivisse autem illum à Patre, è Cælo Cingliano, de quo supra Exercitat. 4. n. II. pernego. Nam è figmento, quod in cerebro Cinglij natum videtur, nec mitti, nec demitti in terras potuit Filius Dei, Rectius de Cælo Beatorum docent nostrates Theologi. B. Gerhardus in Harm. de pass. resurr. p. me 367. n. 5. ita scribit: quid autem de opinione eorum statuendum sit, qui satis audacter Cælum illud definiunt, esse locum certum creatum & corporeum, Cælos aspectabiles proxime cingentem & ambientem, mansionibus certis distinctum, alibi expositum fuit. Quantò modestius Augustinus lib. de fide & symb. c. 6. scribit: credimus Christum in Cælum ascendisse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit. Sed ubi & quomodo sit in Cælo corpus Dominicum curiosissimum, & supervacaneum est querere. Non enim est fragilitatis nostra Cælorum secreta discutere &c. Iustin. in dialog. cum Tryph. in Regione sua (ὁ ἄρρητος καὶ ἀκρίβητος τῶν πάντων) quæcunque tandem est, manet. Quæris, ait D. Mentz. t. I. p. 425. ubi sit illud Cælum, in quod ascendit Christus? alicubi esse certum est. non ubiq;: non nuspiam, sed locum aliquem certum monstrare non valeo, sive ad orientem me convertam, sive ad occidentem, sive ad meridiem, sive ad aquilonem, in Cælo esse credo, sed & longe supra omnes Cælos. confer etiam Hodof. D. Dannhavveri p. m. 539.

§. VI. Dicere igitur Deum è Cælo locali & spatio immenso, lucidissimo, glorioso, extra & supra hunc mundum constituto, è Cælo inquam Cingliano descendisse, & ILLINC Filium Dei demissum in TERRAS, proprièq; (propria acceptione vocis ascensionis) in illud rursus ascendisse, & in illud locale Cælum resumptum, & sic ivisse & venisse ad Patrem satis periculose asseritur, & loquendi phrasis, facile à Photinianis, & Vorstianis admittitur. In locali illa itione ad Patrem Cælum erit arx illa localis, in qua, tanquam definito loco, habitet Pater, ad quam arcem nisi ascendisset Christus, ad Patrem non pervenisset. Placent illa, ait B. Mentz. Tom. I. oper. p. 889. sine dubio Photinianis haud vulgariter. Quin etiam, Jure optimo verbis, quæ posui Exercitat. V. p. 19. & quæ Theologorum Christophori Ducis Wirtenbergensis in Epit. Coll. Maulbrunnensis Tubingæ excusi Anno 1561. p. 48. sunt, pro meis hic utor: non potuimus (ajunt illi) aliter cogitare, quam quod per phantasma fingere

gerenz

gerent regiam in Cœlis, in qua habitaret Deus Pater, ad quem Christo homini per astra & omnes sphaeras planetarum ascendendam fuerit, ut ad patrem perveniret.

§. VII. Neque etiam sic exposuere pij Veteres & DD. Ecclesiae orthodoxi, Cœlum, de quo per incarnationem descendisse Christus dicitur. qua de re vid. Exerc. IV. p. 13. 14. & D. Gerh. Exeg. de statu exin. p. 293. ubi sic Athanasius contra Gregales Sabelli loquitur: ἡ γὰρ τὸ βασιλεὺς εἰσελάου τὸ λόγος, ἢ ἐκ τῆς ἀσωμάτου μεγαλοπρεπείας τὸ πρὸς τὸ σῶμα & ἀτελὲς ὀπίδοσις. adde Damasc. l. 3. de orthodoxa fide cap. I.

§. VIII. Quare existimo tutissimum esse, juxta Pauli admonitionem, formulam sanorum verborum non minori diligentia, quam ipsam sinceram doctrinam firmiter retinere, quâ ratione multis non necessariis controversiis ansa præciditur, & multa in Ecclesia Dei offendicula præcaventur, vid. Form. Con. pag. 707. neque enim voces id significant, quod Tute vis eas significare, sed quod illis auditis Te audientes concipiunt: sicut non male Calixt. in digressionem de arte nova p. 179. 184. scripserit, dicta, inquiens, & enunciata nostra capienda sunt, quemadmodum super ea cogitando & concipiendo mens humana fertur, seu quomodo super ea cogitando & concipiendo naturaliter & communiter fertur omnium hominum intellectus.

§. IX. Ex quibus quæ jam dixi, patet quid sentiendum sit, de eo, quod apud Theod. Bezam vol. I. p. 589. mitius videtur esse dictum. sic enim ille loco citato scribit: Christus ascendit in Cœlum, quo descenderat, concedo, propria cœli significatione, sed ita ut descensio, quæ est τὸ λόγος, nihil aliud quam manifestationem in carne ἀνθρώπου παθῶς declaret, ascensio autem ad humanitatem referatur, & propria significatione intelligatur. quomodo igitur, dicet, descendisse dicitur, qui ascendit? quoniam videlicet unus & idem est in diversis naturis Christus. Idem loc. cit. hæc quoque habet: assumptionem hanc, Filius Dei non descendit ex Cœlo locali, cum non mutet locum & omnia implet, nego.

§. X. Et quid quæso est, quod Beza dicit illinc, (è Cœlo locali) non ex ubicuario Cœlo missum esse à Patre Filium.

Hinc ait ille, scilicet è Cœlis, qui *revera*, & proprie loquendo *fursum* sunt. Cœlum aliquod esse præter illud, quod commune Henocho & Eliæ, omnibus adeo Cœlitibus, ubi Christus suo lætissimo conspectu sanctorum animas divino ac Cœlesti gaudio perfundit, eisque visibiliter à facie ad faciem adhuc conversatur, scil. *Cœlum proprium solius Dei* (vid. Hodof. p. 540. ὑπερῶν πάντων ἕργων non solum super aereum & sydereum, sed super tertium, ὑψηλότερον τῶν ἕργων, Cœlum Dei ἀσέσσητον, omnipræsens, Cœlum Dei Majestaticum, è quo scripturæ phrasi descendisse dicitur Filius Dei, jam supra Exercit. IV. p. 14. 15. solide docui. Est namque omnino Cœlum in quod ascendit Jesus, in quod David non ascendit Act. 2. Joh. 3. (vid. Exercit. IV. pag. 12. 13. 14. & in quod solus Jesus ascendit, qua ille confedit ad dextram Dei Patris in throno Majestatico Dei Patris.

§. XI. Quamobrem ita concludo: Cœlum Beatorum est Cœlum in quod ascendit David, in quod ille venit. Cœlum in quod Jesus Christus ascendisse dicitur. Act. II. v. 34. non est Cœlum in quod David ascendit, in quod ille venit. Ergo Cœlum in quod Christus ascendisse dicitur Act. II. v. 34. non est Cœlum Beatorum. *Quin etiam* sic argumentor: Cœlum in quod Christus ascendisse dicitur Joh. III. v. 13. c. 6. v. 62. est Cœlum è quo descendit: Cœlum Dei Majestaticum, est Cœlum in quod Filius Dei ascendisse dicitur Joh. III. & 6. collatione facta cum cap. IV. Epist. ad Ephes. v. 8. & 10. Ergo Cœlum Dei Majestaticum est Cœlum è quo Christus descendit. Huc etiam faciunt loca ex *Athanasio & Damasceno* modo allegata.

§. XII. Quod autem Beza dicit, non descendisse Filium Dei è Cœlo ubiquitario, respondeo, quia ἐξ ὑνωμένης πολλῆ ἀπάτη, si per distinctionem, si per Cœlum ubiquitarium intelligitur Cœlum quod ubique est, seu Cœli qui ubique sunt, quæ Beza phrasif est, fateor tale Cœlum esse, & ex eo descendisse Filium Dei, estque illud Cœlum Dei Majestaticum è quo Filius Dei descendit per incarnationem, & ita non fingitur Cœlum ubiquitarium, nam quod fingitur, id non est, concipitur autem ac si esset. quod de Cœlo Majestatico dicere impium & absurdum est. Igitur sic argumentor. Cœlum quod ubiq; est, est ubiquitarium Cœlum,

B

Ergo

Ergo qui descendit de Cælo, quod ubique est, is de Cælo descendit ubiquitario. Et porro: qui descendit de Cælo quod ubique est, descendit de Cælo ubiquitario: Filius Dei descendit de Cælo, quod ubique est, Ergo descendit de Cælo ubiquitario. Minor patet: quia descendit de Cælo Majestatico proprioque Dei, quod ubique est ubique. Falso igitur *Beza* dicit, Filium Dei non ex ubiquitario Cælo missum à Patre. Si vero Cælum ponatur *Cimiglianum*, è quo Christus descenderit, illud ubiquitarium esse ultrò nego, quia fingitur esse.

§ XIII. Dicis, qui Cælum tuentur ubiquitarium sunt ubiquitarij. Atqui *Lutherani* Cælum tuentur ubiquitarium. Ergo sunt ubiquitarij. Resp. si ubiquitarios dicis, qui gratiosam Jesu Christi *Θεωρῶντες* in utraque natura præsentiam in Ecclesiâ, juxta ipsius promissiones; sacramentalem item corporis & sanguinis ipsius cum pane & vino, in S. Cæna præsentiam & manducationem, ex divina ejus institutione defendunt, non detrectamus (verba sunt *Dris. Menz.* t. 1. oper. p. 427.) vel magis deformi vocabulo appellari, sicut Christum *Iulianus Galileum* per contemptum nominavit. Sin ubiquitarij dicuntur, qui docent, Christi corpus esse in omnibus locis per expansionem, distractionem, multiplicationem, vel quemcunque alium motum localem, testamur, nos à monstrolo illo dogmate esse per gratiam Dei alienos, & istud toto pectore detestari, tanquam figmentum. Confer. *solid. refut. orth. consens.* p. 663.

§ XIV. Nunc *Bezam* dimittimus & ad *Lambertum Danaum* accedimus & illius dicta discutimus præeunte D. *Menzero*. Hic in sua *Exeg. Aug. Conf.* p. 45. & t. 1. op. p. 887. ita scribit. *Theodorus Beza & hunc secutus Lambertus Danaus de Elench. heret.* edit. 1. p. 119. & *Joh. Pincier* negant Deum esse ubiq; præsentem sua essentia, sed vi & potestate & Majestate.

§ XV. *Joh. Crocius* part. II. *convers. Prut.* p. 144. hæc de *Daneo* habet: alter reus est *Daneus*, cujus verba ex *Elench. heret.* p. 119. sunt ejusmodi, ob quæ vapulat. Quod dicitur pater, Filius & Spiritus S. habitare in nobis *Joh. 14* non de essentia & transfusione ejus in nos est accipiendum, sed TANTUM de nostra per Christum connexionione cum Deo, quæ res est illi plane accidens. *B. Menz.* t. 1. p. 892. ita scribit: recitat ipse (*Joh. Crocius*)

hæc

hac verba Danai in convers. Prutenica p. 2. cap. 5. p. 144. Ecce! Deus habitat in nobis, non ratione essentia, sed connexionis (TANTUM. Excipis loqui eum de commixtione Dei cum creaturis. Atq; hanc aver- santur omnes Christiani orthodoxi. Neq; quiquam piorum habitationem Dei sic accepit unquam, ut statueret inferre mixtionem divinae essentiae cum humana: quae deliria hodie à quibusdam Fanaticis revocantur ex Schola Manicheorum. Quare vanum est effugium in oppos. praesentiae divinae, & transfusionis seu commixtionis. Effundi dicitur Spiritus S. in sanctos non effusione proprie dicta, sed ob largam copiam & abundantiam, & dicitur dari Spiritus S. ipse, non tantum ipsius dona sive munera, quare videat Crocius, quomodo tueri possit suam distinctionem, quo sensu ipse eam accipit, inter praesentiam Dei substantialem, & gratiosam inhabi- tationem p. 147. & seqq. Prut. convers. part. 2.

§. XVI. Verba Danai, (magnae, iudice fac. August. Thuanus lib. 88. ad annum 1587. p. 224. eruditionis, inter Protestantes, Theologi, de quo plura vide apud eundem, ad Annum 1596. p. 702. & Melib. Adamum in vitis Theologorum exterorum p. 187.) prout illa refert Massonius part. IV. p. m. 474. haec sunt: quod di- citur Pater, Filius & Spiritus S. habitare in nobis Joh. 14. non de es- sentia & transfusione ejus in nos accipiendum, sed tantum de nostra per Christum connexionem cum Deo, quae res est illi accidens. Id. l. cit. ebert auff den schlag schreibet Augustinus in Joh. Deus Pater, Filius, & Spi- ritus S. veniunt ad nos, cum venimus ad eos, veniunt subveniendo, ve- niunt illuminando, veniunt implendo.

§. XVII. D. Joh. Crocius part. II. convers. Prut. c. 5. p. 144. alter ait, reus est Danaeus &c. ad quae verba ita scribit B. Menz. Tom. I. op. 292. Ecce Deus habitat in nobis, non ratione essentiae, sed connexionis &c. Excipit Grocius l. cit. Dicam quod res est, diversis in locis contra quosdam novatores essentiam Divinam, in omnibus rebus hypostaticè esse negavit, ἐπεϋντιωὺς autem adesse sine unione hypostatica palam lubenter concessit. Hanc ipsi mentem fuisse, omnes boni intel- ligent, qui virum audire dignabuntur. sic enim Isag. Christ. lib. I. c. 7. scribit: Cæterum in universum est motus triplex, quo Deus in crea- turis dicitur esse, inest enim vel ut sustentator duntaxat, sic in omnibus inest, vel ut gubernator etiam Dux earum sic in solis Sanctis & Electis

tum Angelis cum hominibus est. Et certe propterea non tantum dicitur in illis Deus, sed etiam habitare & manere Joh. 14. v. 23. c. 17. v. 23. Lombard l. 1. distinct. 37. c. 2. vel denique hypostaticè, quomodo in solo homine Christo inest & inhabitat Deitas, Col. 2. v. 9. Act. 10. v. 38. sic enim Deus cum & in illo homine est & inhabitat, ut unam duntaxat personam due illa natura constituant, quæ est Christus: in reliquis autem omnibus sanctis sic inest, ut unam cum illis personam efficiat. Itaque inest in his Deus ἐνσυντικῶς. duntaxat in homine vero Christo habitat ἑσσυτικῶς, &c. Ergo Deitas in Christo inest ἑσσυτικῶς, in Petro vel Paulo & sanctis tantum (NB. TANTUM) ἐνσυντικῶς, & propter effecta quadam. vident hic omnes boni non opponi à Danao inter se ἐνσυντικῶς & ἑσσυτικῶς, sed ἐνσυντικῶς, cui includitur τὸ ἑσσυτικῶς, & ἑσσυτικῶς. concedi etiam Deitatem, quæ est ipsa essentia, in omnibus rebus esse, sed non ita, ut cum ipsis una fiat persona p. 146. idem Danaus eodem capite clarissime se explicat p. 19. his verbis: Deus ergo, qui ubique est, à nulla re abest, neque ab ulla cujusvis rei vel minima parte: sed totus est in tota re, & totus in singulis ejus partibus, Totus in Cælo, totus in Terra, Totus per omnia & singula diffusus. Adhuc aliquis dubitet de Danaei sensu orthodoxo vid. Tract. Theol. p. 1381. 1270.

§. XIIII. Verum enim verò apertissimè Danaus asserit in universum esse modum triplicem, quo Deus in creaturis esse dicitur. inest enim, alibi ait, vel ut sustentator, sic enim omnibus inest, vel ut gubernator, vel denique hypostaticè, certe si modus, quo Deus in creaturis esse dicitur in universum est triplex, adeo ut in creaturis ille sit, vel ut sustentator duntaxat, vel ut gubernator, vel denique hypostaticè, næ is non in omnibus creaturis illico inest essentialiter. Præterea, si ubique esse, & in omnibus rebus esse, & à nulla re abesse coincidunt; Deus autem quæ & ut sustentator in creaturis est, in omnibus inesse dicitur (juxta Danaum) certe non plus efficitur, quam quod ex mente Danaei, Deus ubique sit ut sustentator, & ubique diffusus, ut sustentator duntaxat.

§. XIX. Tum etiam patet Calvinianorum de gratiosæ præsentia sententia. Neque enim definitionem illius per ipsos ingreditur præsentia substantialis, & Christus dominatur etiam, ubi suo corpore non est essentialiter præsens. Illud, ait Menz. Tom. p. 390. reprehenditur tam in Beza, quam in ipso Crocio, quod gratiosam

tiosam

tiosam præsentiam & potentialem definit tantum per operationem gratiæ & potentiæ, ita ut neget ipsam essentiæ propinquitatem in definitionis illius ambitu comprehendi p. 147. c. 5. & in defensione p. 257. ubi sunt hæc verba: Nobis, inquit, *præsentia Christi gratiosa est nihil aliud quam gubernatio Ecclesiæ mediatoria. Et disertè negat, ad essentiã utriusq; naturæ esse præsentia gratiosæ partem.* Disputat enim p. 178. & seq. Christum ut hominem dominari etiam, uti suo corpore non est essentialiter præsens. Vnde patet asserti à Crocio præsentiam ἐνεργητικὴν etiam ubi essentia ipsa præsens non est. Quare (ita pergit Menz.) valde suspecta est locutio Calvinianorum de præsentia Dei ἐνεργητικῆ, quam Crocius in Christo definit, per potentem operationem. Hactenus Menz. Ergo præsentia essentialis seu substantialis non in omnibus præsentia modis supponitur, quod est contra Croc. p. 144. Neque energetica præsentia includitur illico essentialis & substantialis ad essentiã contra eundem p. 146. E. à præsentia, quâ Deus inest rebus creatis ut sustentator, & ut gubernator, ad præsentiam substantialem firmiter concludi nequit.

§. XX. Habitat Filius Dei, quâ homo in cordibus nostris, & manet in nobis Joh. 14. Eph. III. est nobiscum Matth. XXIIII. est in medio duorum & trium congregatorum in nomine ipsius Matth. XVIII. dominatur in medio inimicorum p. 110. at non dominatur per Adversarios ita, ut quâ homo essentialiter adsit. Ergo à præsentia gratiosa ad essentialem & substantialem ad essentiã per Calvin. N. V. C. nec illa hanc illicò præsupponit, multo minus includit. Ergo quando *Daneus* dicit, Deum esse in omnibus ut *sustentatorem tantum*, nequit ad essentialem substantialemque præsentiam concludi.

§. XXI. Viderur autem *Crocus* distinguere inter hos modos, quando illi Deo & quando Christo, quâ ille homo est, tribuuntur. Sic enim ille parte II. *convers. Prutan.* p. 138. *præsentia virtualis seu potentialis non opponitur essentiali, quæ in omnibus præsentia modis in Deo propter infinitatem supponitur. Christum autem ut hominem non esse substantialiter ubicunq; operatur & regnat.* Resp. Ergo quando scriptura dicit, Ego & Pater veniemus, & mansionem faciemus, sic explicandus erit ille locus. Ego & Pater veniemus,

Ego & Pater habitabimus apud ipsum, & manebimus, ille quidem, Pater ut adsit, & Christus ut absit. Quæ violenta expositio est, & fit contra conceptum naturalem & communem omnium interpretantium.

§. XXII. Tum unde quæso scis hoc ita esse, ut tu dicis, Deumque non posse absentem operari, posse autem hominem, seu Christum ut hominem. Certe magis credibile est *juxta Bezam*, & illius assertionem (vid. sup. Exerc. V. p. 15. Deum posse absentem operari, quàm hominem. Tum si Deus, ubi præsens est secundum operationem, sive ut sustentator, sive ut gubernator, non potest non adesse substantialiter, licebit mihi dicere, Christum propter communicatam sibi Divinam Majestatem non posse operari, ubi non est essentialiter.

§. XXIII. Dixit *Crocus* an adhuc aliquis dubitet, de *Danaï* sensu orthodoxo. videat is *tract. Theol.* p. 1381. 1270. sed quid provocat ad loca citata? putatne *Crocus* ibi dici, ex quo non possit idem à nobis colligi. Putatne ibi *Danaum* de immensitate Dei rectè sentire, & sincerè docere? producantur loca.

§. XXIV. Dixit ille p. 1371. peccat *Chemnitius*, quod esse in sanctis, quasi sanctorum proprium ponit, cum tamen tota Deitas sit ubiq³, in sanctis autem peculiariter dicatur, non simpliciter esse sed habitare. Atque hoc modo ipse *Crocus* explicat, in Sanctis habitare Deum etiam & manere, in creaturis autem omnibus inesse ut sustentatorem. Ergo si tu concludis, ubique Deitas tota est, Ergo essentialiter. Ego potius ita concludo *juxta Danaum*, ubique tota Deitas est, Ergo ut sustentatrix duntaxat, Deus ubique est, Ergo ut sustentator. Et si in universum triplex modus essendi in creaturis adeo ut Deus in illis sit, ut sustentator duntaxat ut gubernator, & personaliter. quomodo potest colligere, Deus ubique est, Ergo essentialiter. Potius sic infero: per Te Deus in creaturis est, vel ut sustentator duntaxat, vel ut gubernator, vel hypostatice. Ergo cum non sit in omnibus hypostatice, neque ut gubernator, erit ubique ut sustentator duntaxat.

§. XXV. Scribit in super *Danaus* p. 1270. adest rebus omnibus Dei essentia, ut (en expositionem Danaï) illis singulis det esse potentia, ut ei vires tribuat: presentia, ut operationem, adeo ut hæc oratio
vulga-

vulgata, Deus est ubique, sit omnino intelligenda (NB.) de eo in essendi modo per quem causa suis effectis inest, & adest ~~empyreis~~. quid putas Croci, posse hic de Danaei sententia concludi? num hæc verba de virtute sermonis immensitatem Dei non evertunt? num tibi non suspectæ sunt hujusmodi locutiones? num ita sincerè Dei immensitas docetur, & sobriè disputatur.

§. XXVI. Quin etiam addo, quæ ille de oratione Dominica scripsit p. 582. ex quibus judicari posse arbitror de iis, quæ habet Dr. Menz. T. I. op. p. 369. ubi sic scribit, & hæc sunt Lamberti Danaei: de orat. Domini p. 96. cum Deus dicitur esse in Cœlis, id declaratur Deum esse & habitare in illo loco, qui omnibus cœlis conspicuis sublimior atq; superior est ac Beatorum sedes ac Domicilium. Hæc Menz. verba Danaei adscribo ex illius p. 581. 582. Cœlum significat illud omne spatium, quod hac terra superius est, sic tota illa expansio quæ aerem, orbis Cœlestes & quæ in illis sunt, astra, itemq; locum illum conspicuis orbibus cœlestibusq; celsiorem complectitur. Hoc autem spatium, quod est longissimum, in tres partes dividi videtur à Paulo 2. Cor. 12. v. 2. nam qui aër huic terra vicinus, est primum Cœlum, illud autem spatium, quod ab aère, seu elementari regione omnes orbis cœlestes, & sydera continet, est secundum cœlum, tertium vero Cœlum est locus & spatium illud nobis conspicuum, quod supra omnes illos cœlestes orbis extenditur, quod à Scholasticis Cœlum Empyreum, tanquam igneum sit, sed falso tamen nec enim est Cœlum illud ignitum, & si est lux in eo nobis incomprehensibilis 1. ad Thim. 6. v. 16. Empyream inquam appellatur, hic idem locus est Beatorum spirituum sedes, hic est locus, in quo Deus esse & habitare, & thronum habere dicitur. Hæc igitur est primaria, nativa & propria Cœli significatio in S. scriptura ib. Cum vero Deus dicitur esse in Cœlis, hoc modo ac significato vox Cœlorum intelligenda; & post pauca: hoc epitheto Christus immensam Dei Patris in omnia, etiam in Diabolos ipsos, potestatem describere voluit, jam vero (ita pergit Danaeus) hinc gravis abjectio & dubitatio oritur, quomodo Deus; qui est ubique, & qui omnia suâ essentia replet dicatur esse in Cœlis, id est certo quodam in loco. Num vero illic concluditur & comprehenditur, id est, illo loco circumscribitur ipse, qui est immensus & circumscriptus: & vulgo dicitur Deus esse ubiq; enter, prasenter, & potenter, etsi utrum enter esset ubiq; disputatum esse suo tempore scribit Athanas. Antiochenus l. 2. confess. fidei.

Cæterum

Ceterum (notetur expositio) dicitur Deus in Caelis, non ut Caelis illis quantumvis egregiis, splendidis & sublimibus alligetur: non ut illic tanquam definito sibi loco, circulo & carcere circumscribatur: non denique quod ultra & extra Caelos illos Dei potentia se non exerat: imo vero ut omnipotens esse intelligatur, & in omnia habere imperium, dicitur esse in Caelis. Dicunt scholastici, quidpiam tribus modis esse in loco, circumscriptive, definitive, & repletive velut Deus, atque adeo solus, quoniam est ubique replens omnia, neque definitive ut spiritus, Angeli: neque circumscriptive, ut corpora, sed & hic quoque modus est multiplex, nam Deus adest rebus à se conditis, sustentator earum, sic est, in omnibus rebus etsi in Diabolis esse nusquam dicitur, gubernator, sic est, vel potius inhabitat in solis Electis suis hic degentibus Joh. 14. v. 17. complens & consummator, id est, totas eas possidens donis suis, quantum capax est earum natura, replens & beatissimas efficiens. Idem p. 583. est Deus, inquit, in assumpta à λόγῳ natura sua specialique modo videlicet ἁποσαρκῶς, qui modus est unius illius ὑψιστάμενος nimirum Christi mediatoris nostri peculiaris ac propius. Est igitur Deus seu Deitas in Christo ὁμοεικῶς ut ait Paulus: in aliis autem rebus ἀνεργητικῶς Coloss. 2. v. 9. tantum. Certe citius (verbis Joh. Crogator pro meis) ex pumice (aquam expresseris, quam istis ex verbis, ad essentiam Dei essentialem) in substantialem, ac entitativam in omnibus creaturis.

§. XXVI. Restat ut Joh. Pincier producat. sic autem de eo scribit B. Menz. in Exeg. l. c. Theodorus Beza vol. 1. p. 589. & hunc secutus Lambertus Danaus & Joh. Pincier de Cœna Domini l. 2. negant Deum esse ubique presentem sua essentia: sed vi, potestate & Majestate.

§. XXVII. Joh. Pincier, Theologus fuit Wetteravus & Ecclesiastes, de quo Abrab. Bucholzen Chron. p. 786. ad annum Christi 1591. ita scribit: obiit Joh. Pincierus Wetteravus Theol. scriptis ἀχαιστικῶς clarus, die 21. Jan. st. v. ætat. 70. Francobergæ. In nothwendiger ausführlicher special Widerlegung / deren in Hessen Caslischen publicirten, also genandten Wechßelschriften gerühmter Rettung hæc reperiet lector p. 44. daß aber Joh. Pincier, welcher sich des Calvinismi verdächtigt gemacht / und auch wohl deswegen seine opinion haben mag von Ew. Fürsil. Gnaden darumb / daß Er sonst ein gelehrter eingezogener Mann ist / und
Die

Die irrige Lehr vom Nachtmahl / wie Jhm seine Pfarz-Kinder Zeugnuß geben / auff den Predigstuhl nicht bracht / auß sonderlicher Genade gedultet / und nicht abgeschaffet worden / verhoffen wir / solle uns andern / die mit seiner Sach nichts zu thun / zu keinem Nachtheil gereichen p. 266. von Joh. Pinciern Pfarrer ist droben Meldung geschehen / daß Er sich des Calvinismi öffentlich nie angenommen / auch davon nichts auff die Kangel bracht / sondern sich still und eingezogen verhalten p. 282. daß nicht ohn daß Pincier zu etlichen mahlen des Zwinglianismi halben in harten Verdacht gefallen / er hat sich aber damahls dermassen erkläret / daß seine Gn. und sie mit Jhm als mit einem firtrefflichen Gelehrten Manne wohlzufrieden gewesen / und Jhn biß daher (Anno 69.) in ministerio bleiben lassen. Atq; ex his facile discimus, quis fuerit Joh. Pincier quem pro suo agnoverunt duo Crocij, Ludovicus & Ioh. fratres.

§. XXIX. Insolentissimus Christianus Corvinus, Tigurinus, Typographus Herborenensis in præfat. ad illustris. ac potentissimum Principem Mauritium, Landgravium Hassiæ, quam præfixit scriptis Eucharisticis Joh. Pincieri non veretur ita de eo scribere: eant nunc Synusiastæ, & vociferentur, verba Testamenti nobis horrorem incutere, quæ nobis tot tela subministrant, quibus Pandora ubiquitistica hætenus confecta & prostrata jacet. Quæ breviter strictimq; ac crasse à me dicta sunt, ea fuse ac erudite persequitur in hisce libris clarissimus vir Dn. Joh. Pincierus, quem natum Wetteræ oppidum excepit, educavit, in primis literis informavit, quem Marpurgum, Lovanium & Lutetia excoluerunt, Tigurum & Argentoratum, tum & Buceri nomine celeberrimum puriosi veritatis Cœlestis doctrina instructum, patria eum reposcenti restituerunt, quem amarunt, foverunt & promoverunt, illustrissimi Cattorum principes: quem admirati exterarum Ecclesiarum quæsiitæ, in arduis ac dubiis consulerunt.

§. XXX. Quantus iste Pincier Thraso fuerit, mox inscriptio operis ostendit, quæ hæc est: Primus tractatus, de DIPNOSOPHISTICÆ TRAGOEDIÆ PROCATASTROPHÆ. subsequentiæ hæc sunt: Quale Chirurgis carcinomatus genus est, cui dicitur. Noli me tangere: talis omnino mihi videtur in re sacramentaria existere quæstio de Cœna Domini: qua crebra sui inflammatione adeo solet intumescere, ut ne levissimam quidem contrectationem admittat, quin bilem in nasum conciat. Ibid. in aperiendo (hoc ulcere) Alexandri Macedonis imitemur industriam, qui fatalis in Gordico plaustro

jugi lora abdita operis principiis & utroque caput celantia nodo, cum solvere non posset, clavum, quo remoni jugum annectebatur dissecuit, atq; sic protinus facillime dissolvit. Similiter si nos clavum veriusq; nodi, quo caput totius dissertationis de Cœna Domini fixum later, removerimus, & purulentum calumniarum & convictorum cruorem abstergerimus, opus plurimum, rei alioqui deploratæ conferemus. Ego itaq; quasi ensis aut unguis in vomica, si quem forte dolorem, refricanda cicatrice male obligata, recrudescere fecero, æquid à me animo accipi, ferrig; debet. Id. p. 116. ad hæc H. E. C. M. ita scribit: quasi diceret, panis ut certissimum signum mei corporis, debet efficere, ut corpus meum pro vobis traditum veniat vobis in mentem: quæ interpretatio quàm non sit coacta, inde liquet, quod Dominus statim subjicit. Hoc facile in meæ memoriæ. Contrà verò alienum à proprietate omnium sacramentorum & signorum, ut res significatas vel sibi coherentes habeant, vel ea in se ipsis contineant aliter, quam significatione, vel exteriori homini eas offerant, vel in os hominis corporeum ingerant. Atque hic est, ille Joh. Pincier. de quo scribit B. Mentzerus in Exeg. quod negaverit Deum esse ubiq; præsentem sua essentia eademque repetit T. I. op. p. 887. Verba Joh. Pinc. habentur tract. 4. p. 370. 371. si, inquit ille, necesse sit meam sententiam explicare, ego putarim, cum Deus dicitur sua essentia ubique esse, atq; omnia replere, verbum essentia haud omnino proprie accipi: sed tantum pro Majestate quadam verâ atq; essentiali, quâ Deus omnia repleat. Video enim à Paulo notari aliquid præcipuum, cum ait, omnem plenitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter: quod nullis omnino creaturis, sine insigni blasphemia possit tribui, ita ut existimem, plenitudinem illam Deitatis non ubiq; esse corporaliter, & ego quidem (salvo meliori judicio) existimo realiter ac substantialiter. Deinde si proprie accipias essentiam, pro eo, quod est ipse Deus: eumq; dicas omnibus inesse creaturis: omnes Deum esse, efficietur, quod est falsissimum.

§. XXXI. Joh. Crocius p. 2. conv. Prut. c. 5. p. 151. sic judicat; tertium reum sistimus, Est autem ille Joh. Pincier, quondam Haffsus Theologus, cujus verba ex libro de Cœna D. p. 370. graviter perstringuntur. Et quidem sunt ista (si necesse sit meam sententiam de imensa Dei essentia explicare &c. Idem in Defensione p. 115. notante D. Mentz. T. I. p. 812. scribit: Pincierum apertè dicere, Deum sua essentia ubiq; esse, & Mentzerum non absq; causa calumnia accusatum. Frater Ludovicus Crocius scribit: Pincieri privatim illud dogma Ecclesiæ non esse imputandum.

§. XXXII.

§. XXXII. Menzerus p. 529. T. I. op. hæc habet: *Grocins (Ludovicus) exponit verba Beza & Danai a me objecta, ne videri debeant aduersari immensitati Diuina. Et quia Pincieri sui verba asperiora flectere non potest in sensum probum, monet, privatam illius dogma esse, Ecclesis minimè imputandum. & p. 892. Cordate autem contraivit Ioh. Crocio & ejus solvit criminationes Beat. Mentz. Genianus iniquiens, ad tribunal Veritatis.*

§. XXXIII. I. Crocius p. 152. *Contra Prur.* respondet. *Pincier non essentia immensitatem inspicitur, sed ejus cum rebus creatis compositionem refutat. Res clara est, si inspicias contextum, ubi ait: ESSENTIAM DEI VBIQUE DIFFVNDI, quia omnes Patres docent, & scriptura videtur affirmare, NON DIFFITEOR. Verum eam esse ubiq; realiter ac substantialiter non modo diffusam sed cum ipsis veram substantiam conjunctam, ego quidem non video quomodo possit dari, nisi cum Simone Mago, Cerdone & Manichæis omnes creaturas ex Dei essentia constare credimus.*

§. XXXIV. Verum enim verò disertè nego rem claram esse ea claritate, quâ Crocius suam sententiam roborat, & affirmo claram esse rem ea claritate, quo Doctorum nostrorum expositio firmetur. Ait Pincier, non diffiteor essentiam Dei ubiq; diffundi; addit: esse eam ubique realiter ac substantialiter non modo diffusam, sed cum ipsis rerum substantiis conjunctam ego quidem non video. Quid autem apertius, quid dilucidius possit dici, quam quod Pincier, § quamobrem scripsit, nescio. Ita namque ille suam mentem circa hæc verba, *essentiam Dei ubiq; diffundi*, declarat: *Tamen si necesse sit meam sententiam explicare, ego putarim, cum Deus dicitur sua essentia, ubiq; esse atq; omnia replere (dixerat ante essentiam Dei ubiq; diffundi, non diffiteor) verbum essentia haud omnino propriè accipi: sed TANTVM pro Majestate quadam vera atq; essentiali, qua Deus omnia repleat. Quid autem sit propriè essentiam accipi, clarè dicit p. 371. deinde, inquit si propriè accipias essentiam, pro eo quod est ipse Deus, eumque dicas omnibus inesse creaturis, omnes creaturas DEVM esse, efficietur, quod est falsissimum. Hinc ego firmiter & tutò concludo, si Deus sua essentia ubiq; est atq; omnia replet, siq; essentia Dei ubiq; diffusa est, & essentia non propriè sumitur, pro eo quod est ipse Deus, tum non ipse Deus ubiq; est, & ubique diffusus; sed TANTVM Majestas quadam Dei vera atq; essentialis, qua ille omnia repleat. Ergo ipse Deus non est ubique realiter ac substantialiter, & se ipso Deus non omnibus creaturis inest & per consequens ipse Deus immensus non est, neq; omniprensens. Atque Ergò. Recte igitur dixit Mentz. Pincierum negare Deum ubiq; essentia sua esse; sed Majestate TANTVM. quid desideres amplius non video.*

§. XXXV. Nunc ad rationes Pincieri accedo, ait ille: *Video enim, à Paulo notari aliquod præcipuum, eum ait, omnem plenitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter: quod nullis omnino creaturis, sine insigni blasphemia possit tribui: ita ut existimem, plenitudinem illam Deitatis non ubiq; esse corporaliter, ut ego quidem, sed & meliori iudicio existimo, realiter ac substantialiter. Ergo sic ille concludit. Si Paulus ad Colos. II. tanquam præcipuum quid & singulare de Christo enunciat, omnem plenitudinem Deitatis habitare in Christo corporaliter, id est realiter ac substantialiter, Deus cæteris creaturis, se ipso realiter substantialiterq; non adest. Atque Ergo. Ait porro, si propriè accipias essentiam, pro eo quod est ipse Deus: eamq; omnibus dicas inesse creaturis, omnes creaturas Deum esse efficietur, quod est falsissimum. Argumentum igitur Pincieri hoc erit, si essentia Dei, hoc est ipse Deus dicitur omnibus inesse creaturis, omnes creaturæ Deus sunt. Atqui posterius est falsissimum. Ergo & prius, scilicet ipsum Deum, de quo tamen scripturæ expresse habet, quod in ipso sumus, vivimus & movemur, omnibus inesse creaturis est falsissimum. At non hoc est falsis-*

falsis-

falsissimum: sed tua, *Pinciere*, connexio partium majoris falsissima est. Quæ quæ-
so consequentia est, *Deus inest omnibus creaturis, Ergo omnes creatura Deus sunt.*
Nam cui Deus inest entivitatè, & in quo realiter & substantialiter est, is illico Deus
est? quin etiam sunt omnes pij templa Dei, & habitat in illis, & tamen nulla hinc
confusio, nulla mixtio, nulla compositio, ex essentia Dei & homine, in quo ille
ut in templo suo habitat.

§. XXXVI. Pergit *Pincierus*, postremo, inquiens, *nemo nescit essentiam pro-*
pric sumptam tres complecti ἁποστάσεις, Patrem nempe, Filium, & Spiritum S. eas
hypostases necesse erit omnibus rebus creatis realiter, atque adeo ἁποστατικῶς, seu
personditer esse conjunctas, quod vel cogitare animus horret. Argumentum illius
ad figuram & modum hypotheticum reductum sic se habebit. Si essentia divina pro-
pric sumpta complectitur ἁποστάσεις Patris Filij & Spiritus Sancti, & illa dicitur o-
mnibus inesse creaturis: sive, si ipse Deus ubique diffusus est non Majestate TAN-
TUM, tres ἁποστάσεις omnibus rebus creatis inesse dicendæ sunt realiter, atque a-
deo ἁποστατικῶς. Atqui Ergo, necesse est tres ἁποστάσεις omnibus rebus creatis re-
aliter atque adeo hypostatice conjunctas esse. Miror hominem, quem volunt esse
clarissimum, quem amant, foverint, & promoverint illustrissimi Cattorum prin-
cipes: quem admirandi exterarum Ecclesiarum *patres* in arduis ac dubiis consu-
luerint, adeo turpiter hallucinari, quæso num sequitur, hic dicit, Deum qui unus in
essentia & trinus in personis est, Pater, Filius & Spiritus S. ubique diffusus est, & in-
est omnibus creaturis, Ergo conjunctus est hypostatice. à præsentia sive essentia sub-
stantiali, quâ Deus intime creaturis, & entitative inesse dicitur, ad conjunctionem,
sive unionem hypostaticam inepte concluditur. Licuitne *Pinciero* à genere ad speci-
em, ab esse ad esse tale, ab inesse ad inesse tali, tam audacter concludere? num sequi-
tur, inest realiter, Ergo hypostatice.

§. XXXVII. *Crocium* resp. p. 2. conv. Prut. p. 152. *Pincier* non essentia immen-
sitatem inficiatur, sed ejus cum rebus creatis compositionem refutat. *res*, ait *cla-*
ra est &c. sed jam supra resp. falsissimum esse quod *res* clara sit, nam aliud argu-
mentis irrefragabilibus evictum. B. *Mentzer*, T. I. op. p. 892. *Seniamus*, inquit,
ad tribunal Veritatis: Pincieri verba hæc sunt: *sine esse est meam sententiam* (*Cro-*
cium addit, de immensa Dei essentia) *explicare*, ego putarim &c. Argumenta hujus
sententia tria recitat *Crocium* ib. p. 153. &c. sed his omnibus contrariavit *Mentz.* l. c.
quem cum jam dictis confer.

§. XXXVIII. Accipiam etiam, quod *Ioh. Crocius* p. 153. & 154. th. 14. scripsit:
etiam si vero: inquiens, ea fuisset sententia, quam ipsi Disputatores affingunt (non af-
fingunt: sed omni jure ei tribuunt) *Nobis tamen eam non præjudicare, Prussia ordi-*
nes & Ministri pro sua prudentia & pietate, me tacente omnino judicabunt, de com-
muni enim fide se acturos esse, inquisitores nostri supra sunt protestari, Eant vero
& apud nostros inquirant. Nullam Ecclesiam invenient qua istam fidem sibi vendi-
set: dico de negata essentia Divina immensitate.

§. XXXIX. D. *Ioh. Crocius* c. 5 p. 154. cum finiret Apologiam suam quæ pro tri-
bus (ita eos ipse vocat p. 158.) *Beza, Danao, Pinciero, Doctores orthodoxi impu-*
runt, addit: eant vero & apud nostros inquirant? facessat igitur calumniandi
dium, & agant nobiscum Theologice, id est candide & sincere. Hoc dictum esse
pio D. *Ioh. Crocio* & si qui sunt, qui cum ipso solent crociare calumnia, calumnia
desinatque maledicere, malefacta ne noscat sua.

DEO PATRI FILIO ET SPIRITUI SANCTO,

Qui non Majestate TANTUM, sed essentia suâ proprie dicta, Cælum terramq;
replet, & Jehova Deus Cœli Terræque est, sit Laus, honor & Gloria in fœculum

Coll. Diss. A 165, misc 49